

Thesium chiriaticarum sylloge vi. De setaceis / [Johann Friedrich Hellwag].

Contributors

Hellwag, Johann Friedrich.
Metzger, Georg Balthasar, 1623-1687.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tübingen : J.H. Reis, 1675.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/gpahaj4v>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

THESIUM CHIRIATRICARUM
Sylloge VI.

De

SETACEIS,

Quam

Sub

RECTORATU MAGNIFICENTISSIMO

Serenissimi ac Celsissimi Principis ac Domini,

DOMINI

GEORGII FRIDERICI,

Ducis Wirtembergiæ & Teccæ,

Comitis Montisbelgardi, Dyna-
stæ Heidenhemii, &c.

PRÆSIDE

DN. GEORG-BALTHASARE METZGERO,

Med. Doct. & Prof. P.

Publico Examine submittit

JOHANN-FRIDERICUS Sellwag /
Tubingensis.

Ad Diem 18. Septembris,

Horis locoque consuetis.

TUBINGÆ,

Typis JOHANN-HENRICI REISL,

ANNO MDCLXXV.



ΣΥΝ ΘΕΩ.

T H E S I S . I.



Fonticulum simplicem excipit duplicatus, fontanella duplici foramine prædita. Setum hunc, setamen, setaceum, setabulum, sedaginum hinc inde inscribunt; qua de nominis ratione mox. *Marc. Aurelius Severinus* sectum chirurgicum vocat l. 2. *pyrotechn. p. 1. c. 12.* Sectorium *Rhasis* interpretes & *Joh. Arculanus* dixerunt, fortè quod sectione commodissimè fieri voluerint. Laqueum complures cum *Hugone Senensi* in Consiliis, *paracentesis* & quidem *collis* à potiori *Jacobus Hollerius* l. 1. de cur. intern. morb. c. 17. illaqueationem alii & nescio quibus non titulis appellant. *Jul. Cesari Claudino* cauterium cum filo serico l. 2. de ingress. ad infirm. c. 17. duplicatum consult. med. 21. cutaneum ulcus, comparatione cum simplici institutâ fonticulo, secundùm *Ludovic. Mercatum* l. 1. de rect. presid. Art. Med. usu. c. 16. audit. *Nostrates* vocant ein Schnur ziehen. Unde nobis non monentibus patet, non hîc setaceum pharmacopolarum cribrum, Gallîæ, juxta *Adrianum Junium* in nomencl. inventum, non setaceum piscatorum funiculum, qui hamum cum esca dimittit, quem lineam *Plinius* vocat, nec etiam Medicum funiculum s. chordam artificialiter ex apta contortam materia & chirurgi manu variis cutaneis corporis partibus transfigendam signari, (qui sensus aliàs vocis hujus inter Medicos proprius) sed impropriè nos & licentiosè cum vulgo effectum ipsum, fontanellæ certam speciem, pervium funiculi hujus ope ab uno latere ad aliud ulcus, subintelligere, quod modò seq. describimus.

II. Est *Ulcus cutis duplicatum in variis olim quidem partibus, nunc in nucha potissimum, sive candente sive secante ferro factum & apti funiculi trajecti ope in peccantis materiae evacuationem munitum.*

III. Remedium est non nudius tertius demum inventum, sed antiquissimis Autoribus, Apstyrto, Hierocli, Pelagonio, in veterinis præsertim curandis, teste *severino l. c.* notissimum. Ab his sine dubio ad homines transit, magni primùm *Hippocratis. 1. de videndi acie. 1. 17.* deindè *Rhasis* præcipuè & plurium hujus gentis Medicorum Principum autoritate & experienciâ nobilitatum; nec tacuerunt aliorum temporum & populorum medendi Artifices alii hujus usum & beneficia egregia infra recitanda, ut vel ideò explodendi meritò veniant, qui cum Empiricis, quos hujus præstantia præsidii latet, hoc ceu nimis crudele rejiciunt, *Hildan. c. 1. obs. 40.* aut doloris atrocitatem objiciunt, qui tamen eò, qui in phlebotomia fit, major non est *eod.* teste & *Gregorio Horstio probl. therapeut. dec. 3. q. 1.* aut sterilitatem, contra experientiam, quam *Setacei* ope abegit, *Hildanus c. 4. obs. chir. 19.* superstitione, ut loquitur *Paulus Ammanus med. crit. cas. 35.* chirurgicâ ex *Fortun. Fidelis relat. med. l. 3. c. 4.* vel denique apoplexiæ periculum à remedio omni ex parte tutissimo metuunt, quos *Gr. Horstius l. 2. epist. med. s. 8.* refutat. Nec audiendi, qui idem hoc cum fonticulis auxilium faciunt; utriusque enim differentiam præter *Lud. Mercatum l. c.* & *Glandorpium l. d.* descriptio allata satis superque monstrat.

IV. *Subjectum seu locum* ulceris nostri præcipuum diximus *nucham*, spinalis medullæ initium, quam macrioris aut obefioris corporis conditione ita jubente, modò inter primam & secundam vertebra, modò inter secundâ & tertiam, vel etiam inter tertiam & quartam transfigi-

mus:

mus: declivior ē a. locum qui quærunt, opus periculi plenum moliuntur, viditque ita setum ad sextam cervicis vertebram affixum dolorificum valdè iterumq; abolendum. *Hildanus c. 1. obs. 1.* Sed cutaneum ulcus volumus ultra cutem & panniculum carnosum, subjectis musculis intactis, limites suos non produciens, ob convulsionum aliorumque gravissimorum symptomatum metum *Sculdeti* subscribente *de setac.* nec hoc tamen nimis superficiale, quod parum materiæ fundit, facilemque funiculo eruptionis viam sternit, monitore *Hildano cent. epist. 59.*

V. Et hoc præcipuè in loco & ferè unico hodie in usum vocatur setaceum, vixque aliud chirurgis nostratibus cognitum: cœterum si Veteres consulimus, setabulorum numerus definitus non est, qui tot, quot loca his transuendis commoda viderunt, constituerunt, quibus, ubi cutem forcipe vel manu apprehendere & attrahere licuit, ibi setamina etiam adjuvandæ proximæ partis ergò affigere libuit; unde nulli ferè parti, nulli ventri parcebant, setumque urgente necessitate, nunc ad jugulum, sub alas, thoraci, ori ventriculi, hepatis & lienis regionibus, scroto, popliti &c. appendebant, nec laboris eos penituit, ut pluribus ex *Severino l. c. c. 15. & 16.* videre est, *Glandorpius l. d. c. 21.* in sura contra ischiaticum malum ab *Adriano Spigelio* Patavii cum successu administratum vidit; cur autem hoc potius quàm simplex cauterium *Autor* advocarit, dictu nobis facile non est, nisi fortè arctiorem æger ligaturam metuerit. *Johann. Scultetus l. c.* in auriculæ lobo idem feliciter tentavit *tab. 34. fig. 6.* Rationem à miro hujus partis cum reliquo corpore consensu *Thom. Barthol. cent. 4. hist. anat. 90.* accersit.

VI. *Instrumenta* operationi congrua varia sunt, prout majoris vel minoris apparatus operatio eligitur,

prout chirurgus vel solus, vel adfistente ministrô instructus, in corpore magis aut minus obeso, cum aut sine igne, ustione aut sectione, operatur, quæ omnia *Sculetus tab 7.* in septem figuris ad vivum sistit. Præcipuum autem inter antiquos *Setæ*, quæ nominis rationem persuasisse putantur, & in specie equinæ erant, non omnino tamen posthabitis aliorum etiam animalium pilis crassioribus, quas sub rudi adhuc arte vel ruditer solum complicatas vel in funiculum artificiosè contortas per cutem traiciebant. Asperior mox visa materia hæc (quam tamen hodiernum nonnulli admittunt ut sordes melius abradat & pruritus quendam excitando copiosorem humorum attractionem juvet secundum *Th. Fiennum de cauter. l. 3. c. 14.*) mutata in sericum fuit, nomine remedii, & fortè nec sic incongruè, servatò eodem; Sericum enim & setam pari significatus passu ambulare inter Medicos & pharmacopœos testis est *Laurent. Catelanus de genuin. confect. alkerm. appar. mod. c. 3.* Sericum a. eligitur vel rubrum & chermesinum, quod tamen *Glandorpheus c. 21.* ob tincturam arsenicalem & inde subortam aliquando inflammationem suspectum facit, vel album, quod hic substituit, & plurimum etiam votis, quod sanguinis & aliorum humorum effluxum faciliè prodat, approbatur. Lineam tamen ligulam præ sericea *Johann. van Horne in microtechn. p. 177.* eamque cerâ obductam *Paulus Barbetze chir. c. 21.* commendant; sed verendum ne eodem ægrum cum setis infortuniò mactet. Cautiores vel ex gossipio vel lana communi eandem contextunt, quæ sordes & saniem fidelius imbibunt. *Bartholomæus Perducis* linteò tortili contentus est *med. univers. l. 7. c. 16.* Quicquid autem elegeris, crassities fili, quod alii triplicatum, alii quadruplicatum, imò quintuplicatum considerant, foramini acûs respondeat; longitudò ea sit, quæ

quæ collum commodè circumdare sine dolorifica con-
strictione possit, nec tamen longâ circumgyratione
multas tricas faciat, unde ætatis hîc & corporis dispo-
sitionis præsertim colli, ratio habenda. Non defuere,
qui sepositô omni funiculô à veterinariis, ex *Columella*,
edocti, plumbeam aut apud ditiores auream fibulam su-
spenderunt, cujus inter alios *Gattinaria comm. in 9. Rhaf.*
de vis. læs. meminit, Hispanisque frequentior hujus u-
sus est, notante *Michaele Paschaliô meth. c. de ophthalm.* Tu-
rundam longiusculam ex inverso & convoluto radicis
laureolæ cortice *Th. Bartholinus* auris lobulo perforato
trajectum cum copia multæ vitiosæ colluviei profluente
& valetudinis commodo *l. c.* vidit.

VII. Alterum instrumentum *acus* est, ex ære ve-
teribus tutius spondente vulnus, nunc ferè ex chalybe
& ferro ad scindendum paratioribus producta. Acu-
ta hæc & tricuspidalis, ut penetret, antè, postè
perforata, quæ post se funiculum promte trahat, requi-
ritur. Utrum a. frigida præferenda an ignita, non u-
na omnium mens est. Pro hac *Veterum & Italorum* pra-
xis quotidiana militat, cui etiâ *Glandorpius* favet; pro
illa *Fabr. Hildanus* cum *Dan. Sennertô l. 5. instit. §. 2. c. 7.*
Greg. Horstius probl. med. l. c. & pluribus à *Glandorpio* nota-
tis, qui inventionis, quam suam voluit, gloriam *Hilda-*
no dubiam faciunt, stat, multisque cum rationibus suf-
fulcit, quibus nostrum etiam calculum subscribimus.
Qui cultellum lanceolatum, quô acui funiculum ducen-
ti viam parant, superaddunt, entia præter necessitatem
multiplicare videntur; ad quid n. pluribus opus est,
ubi unica acus sufficit?

VIII. Tertium superest *forceps*, quæ cutem cum
panniculo carnoso à musculis abducit, elevatamque te-
net, unde tenaculæ nomen communiter meruit. Per-
forata

forata & hæc utrinque sit oportet, ut acum cum funiculo trajiciendam haud difficulter transmittat. Cætera requisita cum iconibus variis depinxerunt *Pareus, Hildanus, Glandorpius, Scultetus*, videndi. Sunt ramen, qui & hoc instrumentum supervacaneum hodiè censent, & cutem vel solâ manu, iterâ chirurgi, ministri alterâ, decenter elevatam perforari jubent ex *Joh. van Horne & P. Bar-bette l. c.*

IX. Hôc ergo five majori five minori apparatu instructus Chirurgus ad ipsam se operationem alacriter accingat, ægrôque in sedili commodè collocatô, nec non pilis, ubi opus est, abrais, vulnerandum locum atramentô utrinque signet (utriusque signi interstitium secundum *Scultetum tab. 30.* sit unius digiti & dimidii transversi plus minusvé, prout ægri cutis crassa aut tenuis est) elevatum forcipe vel digitis apprehendat, ad sensus mediocrem stuporem comprimat, & per notas medios inter digitos vel forcipis foramina obvias, acu perforante frigidâ filum audacter trajiciat, subductâque acu, utroque extremo ad anteriora colli leniter protractum & circumductum in foramine duplicato relinquat; Nivem applicatam post horæ quadrantem sensum sopire partis, ut indolens servetur, à *Severino* se edoctum, fatetur *Th. Bartholinus de niv. us. c. 22.* idem subinde solô se affricu nivis præstitisse ipse *Severinus l. c. c. 16.* testatur: ad omnes autem ne emanet statim secretum hoc, tritâ bolô Armenâ nivem aspersit aut aliô quocunque colore tinxit, autore *Bartholinô l. c.* Idem *Joh. Costæus l. 2. de ign. med. præsid.* frigidiori aquæ tribuit & glaciei.

X. Peractâ sic administratione, mox linteam parti quadruplicatum cum ovi albumine probè conquassato vel solô vel aquâ rosar. mistô, in hæmorrhagiæ doloris & inflammationis aversionem, apponitur; pòst digestio

gestio convenientibus mediis procuratur, pureque laudabili comparente funiculus quotidie, paulatim tamen, per ulcus, ut saniem suam feliciter expuat, nec præter votum & præmaturius coalescat, ab uno latere ad aliud movetur, debitisque ita fasciis, ad finem usque curæ, detinetur, quò præsentem funiculum chirurgus in sinistro latere detruncatum sensim sensimque extrahit ulcerique cicatricem inducit. Nonnunquam filum sponte suâ excidit, ruptâ per continuum attritum cute tenuiori, aut superficialiter solum perforatâ.

XI. Sed duo hic controversantur: Primum; an per longum an transversum locus transfigendus? Communiter vulnus per transversum fit. *Hieronymus* verò ab *Aquap.* mentionem facit eorum, qui per cervicis longitudinem secundum rectum fibrarum ductum acumen traduci volunt, quos inter *Paræus. l. 9. Chir. c. 24.* numerandus. Medium inter utrumque modum *Glandorpius c. 20.* invenit, per obliquum, quò acus in dextra inferiori parte immissa per superiorem sinistram oblique funiculum educit. Sed meritò secundum modum *Aquapendens* repudiat, cum (1) hæc administrandi ratione cutis nec apprehendi commodè nec perforari possit, in medio præsertim cervicis. (2) Alterum superius foramen supervacaneum esset, præstaretque simplicem & unum hîc effodere fonticulum, quem tamen hoc in loco setaceo longè inferiorem *Syllog. anteced. de fontic.* diximus. At nec tertius *Glandorpii* modus suis, in deligatione præsertim, ne plura incusemus, difficultatibus caret, à quibus communem illam & primam per transversum incisionem facile absolvimus; operationem enim & deligationem facilem indulget; cæteris igitur hanc meritò præferimus. Alterum est, quænam inter operandum chirurgum statio, anterior an posterior, r,

maximè deceat? *Hildanus* illam probat, ægri capite abdomini, ut id, quantum fieri potest, teneat, impositô. *c. 1. obs. 40.* hunc *Glandorpius* amplectitur *c. 19.* Litem, nostrô judiciô, usus dirimit & experientia, eamque magis congruam stationem putamus, quæ rectam ægri cervicem offert & cutem cum panniculo suo laxatam magis feliciorique operationi aptiorem largitur; hæc verò est â tergo ægri.

XII. *Tempus* applicationis morbi intuitu idem est cum fonticulo simplici; sc. post decentes corporis præparationes; purgationes, humorum diversiones, viribus adhuc constantibus, nondum habituatô malô, locum huic auxilio deferimus; his neglectis, quæ tempestivè suscepta contulissent, suscepta seriùs infamantur auxilia, juxta *Galen. comm. in. 6. epid. f. 7. text. 11.* Ætatis respectum adeò nullum vel exiguum hic habent Practici, ut ne quidem tenellulis infantibus parcant: Videantur *Fabrit. Hildanus c. 1. obs. 42.* qui quinquenni puellæ applicuit *obs. 41* *Gregor. Horstius probl. therap. dec. 3. q. 1.* *Dominic. Panarolus pentecost. 5. obs. 37.* *Gv. Rolfinccius meth. med. spec. comm. l. 4. f. 6. part. ult. c. 4.* Serenissimo infanti duorum annorum cum fructu *Georg Wolfgangus Wedelius* admotum novit *Exerc. medico. chirurg. de setac.* Quamdiu gestandum interrogati certum figere terminum non possumus: *Forestus* diem trigesimum aut 40. determinat *l. 11. c. 2.* per mens. 3. vel quatuor *Claudinus* laudat *cons. 106. 132.* semestrem *Hildanus* terminum habet *c. 4. obs. 7.* per totam hyemem iterum *Claudinus cons. 131* affixit, per annum integrum *Paræus l. c.* in tertium usque annum *Hildanus c. 4. obs. 19. exempl. 1.* permittit; nim. gestandum tamdiu, quamdiu causa morbifica urget, nunc longius nunc minus, prout eventus utilitatem probabit, ita ex sana ratione judicante *J. Benedictô Sylvaticô c. 2. con. fil. med.*

fil. med. 46. diutius tamen si gestentur *Iul. Cæsar Claudinus* capitis languorem metuit, an rectè, dubitamus; integris enim subsistentibus cerebri functionibus servatum setaceum ad extremum usque vitæ halitum vidit Gr. *Horstius epist. med. l. 2. §. 8.* Cæterum abolere setaceum potissimum non audent, nisi fonticulô prius in brachio vel alio in l. substitui. Sed nec hoc perpetuæ necessitatis putâus.

XIII. Superest *usus*, peccantis in corpore sarcinæ per setaceum evacuatio. In re manifesta multi non erimus. Cùm enim duplicatus vulgò fonticulus setaceum audiat, fonticuli sine dubio inter Medica præsidia locum tuetur, & pari cum illo simplici, si non majori successu (quod per duo foramina plus evacuet *Sennertô* ita rectè sentiente *l. 1. prax. p. 1. c. 5.* quàm per unum) sanguinis & consequenter totius corporis sordes non modò exportat, sed tractô insuper & retractô quotidie per ulcus funiculô, laxâq; ligaturâ consentiente, ex vasis cervicalibus jugularibus & carotidibus internis & externis, quorum consensum eleganter *Nath. Highmorus in anacephal. exquisit. anatom. & Guern. Rolfin. in dissert. anatom.* monstrant, nec non lymphaticis jugularibus à *Jacob. Henrico Pauli anat. Bilbian. anat.* ad amussim delineatis, ipsisque glandulis cutaneis & novis harum ductibus ap. *Th. Barthol. cent. 3. epist. medic. 65. & 97.* ut & *Nicol. Stenonem de gland. oris*, notatis, felicius utique & expeditius ab interioribus & exterioribus sentinam vitiosam emulget, ut sæpius, quod duplex etiam fonticulus præstare non potuit, unum setaceum præstiterit, *Paul. Barbette teste l. c.* Nec verbis opus, ubi res ipsa loquitur. Ita enim capitis dolorem exquisitissimum fonticulô cervicis exasperatum, substitui. ô suasu suô setaceô, ad omnium admirationem sopivit *Hildanus cent. 4. obs. 6.* ferocissimum catarrhum faucibus & palato pessima quæque

mirantem compescuit *Claudinus consult. 13.* Hôc melan-
cholicos duos *Christophorus Schelhammerus*, Scholæ Salanæ
Doct̃or quondam judiciosissimus, menti restituit. Uni-
cum hic contra epilepsiam quot dianam asylum *Hildanus*
cent. 1. obs. 41. exempl. 1. certum in apoplexiæ metu solatium
Greg. Horstius de usu setac. ultimum ferè remedium in oph-
thalmia *Hildanus l. d. exempl. 2. 3. 4.* in gutta serenâ *Scultetus l.*
c. p. 1. tab. 30. fig. 2. p. 2. obs. 26. *Zacut. Lusitanus l. 1. prax. admir.*
obs. 56. in strabismo *obs. 65.* in suffusione incipiente *Hilda-*
nus cent. epist. 67. & cum eodem penè omnes, in fistula lacry-
mali *cent. 4. obs. 19.* pluribusque oculorum deploratis mor-
bis *epist. 57.* invenerunt, in implacabili dentium dolore
cent. 4. obs. 21. comprobarunt. Hôc phthisicum ab o-
mnibus derelictum auxiliis, idem *Hildanus* restituit, *cent.*
3. obs. 38. orthopnœicum pari cum priori fortunâ labo-
rantem liberius respirare fecit *Zacut. Lusitanus l. d. obs. 130.*
Artubus male affectis hoc præsidio *Claudinus* succurrit,
consult. 7. idem Pestis in se suisque nec non aliis plurimis
averruncum strenuum *Hildanus* expertus fuit; cutaneis
denique affectibus tantum non omnibus convenire *Lud.*
Mercatus l. c. prolixè testatur, ut mirari meritò etiam atque
etiam liceat, *Joh. Fernellium*, Medicum doctissimum, adeò
nullum à setaceis vidisse usum vel commodum, sed gra-
vi sæpiùs cum periculo affixa animadvertisse *consul. 9. & 11.*
Ridendum verò omnibus se propinat, *Joh. Baptist. Helmon-*
tius, qui ex accidenti tantùm & forte fortunâ hæc juvare
scribere ausus fuit, *l. cauterium §. 22.* contrà tot Auto-
rum, rerumque testimonia. Magis ad palatum nostrum
& veritatis trutinam *Hildanus*: Nulla diversio præstan-
tior, nulla utilior, imò & securior inveniri po-
test letaceô & fontanellis *cent.*

epist. 56.

F I N I S.